


Propositio quam in consessu publico Ordinum ...



Tryck // / I25 B 14 c Br. 1675 Pat.-4

Tillkomstår s.a. 1675?
Digitaliserad år 2019

PROPOSITIO,

Quam in confessu publico Ordinum Hol-
landiæ & Westfrisiæ

habuit,

Hist
Ned. d.
Polit.
(Br)

1675?

1675?

1675?

Celsissimi & Sereniss. Principis ac
Domini CAROLI, Hassiæ Landgravii
& Ducis Hersfeldensis, &c. &c. &c.

Ablegatus Ordinarius

Gothofredus ab Edelstein in Hochberg.

Celsi & Præpotentes unitarum Provinciarum Ordines.



Um Serenissimus & Celsiss. Princeps ac Dominus CAROLUS, Hassiæ Landgravius, Dux Hersfeldensis, Comes Cattimelnboci, Dieci, Ziegenhaini, Niddæ, Schaumburgi &c. rum Dominus meus clementissimus, propter negotia sua obeunda, rebusq. suis invigilandi, quæ vel pro ratione temporis vel consiliorum publicorum conditione impræsentiarum aut imposteriorum occurrere possunt, me huc miserit, id quod ex literis Fidei autoritatisq. publicæ ad Vos, Celsi & Præpotentes Ordines, datis, latius patebit: Non est quod dubitem, commercium quod Serenissimus Princeps & Landgravius Hassiæ Vobiscum colere vult, ut & injunctum mihi & susceptum munus meum gratum Vobis fore. Nec exigua ad id credendum mihi adsunt causæ. Quicumq. enim vel modicam tantummodò rerum in orbe gestarum habet notitiam, non ignorare potest, statim ab incunabulis Illustrissimæ huius Reip. arctam inter gentem nostram vestramq. coaluisse amicitiam, quam utraq. sartam tectam ad hoc usq. tempus conservavit. Uno quod probabile, oriundi sumus agro. Una eademq. semper nobis fuit eritq. circa sacra cura, & pro communi causa nuper iidem animi, eademq. consilia fuere. Qui fieri ergo potest veteres novis, & novæ veteribus amicitias non jungere velle aut Majorum laudabilia exempla deserere? Prolixiori verborum ambage nunc non opus habeo, credens fore ut a Vobis, Celsi & Præpotentes Ordines, cordati tales mihi nominentur Viri, quibus imposteriorum ea quæ in mandatis habebō, uberius exponere possim, quod dum peto & expecto me in reliquum benevolentia & favori Vestro semper cupio commendatissimum.

